

et si vulgus forte non discernat. Nempe, colore magis alblicant, cum illi nigriores sint. (Corpus varium est, partimque alblicantibus partim fuscis punctis, et maculis etiam nigricantibus transversis distinguitur.) *Spirulilis* circa branchias pluribus et acutioribus, brevissimis tamen illis, et visum paene latentibus horrent; quibus digiti etiam, si retro ducas, configuntur. *Pupilla* oculorum aliqua ex parte pulchre virescit, et gemmae instar resplendet, praelestim ad solem. E lacu in fluvium non migrant: neque fluviatiles in lacum. Gustus etiam suavitate fluviatilibus longe sunt deteriores. Icon quam dedit Aldrovandus Gesneri est, diversa nonnihil ab ea, quam Rondeletius exhibuit, pinna dorsi singulari, et cauda penicilli instar, longiuscula: unde suspicari licet, aliud genus *Cotti* circa Monspelium haber. *Degunt* in rivis frigidis ac montanis, et fluviis precipitibus, sub lapidibus et inter Saxa. *Carnivori* creduntur, et a se mutuo

devorari certum est. Mensē Martio circa festum Paschatos pāriunt. In aquae fundo non tam natant, quam subito impetu teli instar se vibrant, et quo volunt trajiciunt. Gesnerus testatur, legibus pīscatoriis licere, eos capi in flumine a Calendis Novembribus usque ad Pascha: extra vero illud tempus, nec retibus, nec fuscinā, neque alio modo licere: hamo autem nunquam. Nassis uti permisum esse, a die D. Marci usque ad extum Maji, non arctius tamen contextis, quam ut Gobii capitati evadere queant. Coctos esse suavissimos et ori gratissimos cum ovis, quae pinguis, copiosa, et delicatissima, Matthiolus prodidit. Carne molli, Rondeletius, dura Albertus fecit. Apud Helvetios fluviatiles dūntaxat, et quidem circa brumam et Januario mense in deliciis sunt, quidam a Calendis Decembribus ad Calendas Aprilis commendant; omnes, capita, quod spinis tantum cuteque constant, rejiciunt. Placent et frixi.

CAPVT XI.

De Aspero Pisciculo.

TAB. XXVI.
18. 19.
Aldrovand.
de Piscibus
5. c. 29.

Hujus Rondeletius meminit, eidemque a maxillarum asperitate cognomen inditum, aitque Lugdunensibus *Apron* appellari propter squammarum asperitatem, Rhodanoque peculiarem, caeterum non quovis ejus loco, verum in ea fere parte reperiiri, quae inter Viennam et Lugdunum interjecta est. Pisciculus, inquit, est *capite* latiore, quam Gobio, in acutum definente: ore medio, *dentibus* caret: sed maxillas asperas habet, foramina ante oculos. Colore est rufo, maculis nigris latis, a dorso ad ventrem oblique descenditibus varia: Pinnas ad branchias, et in ventre similes cum Cottis habet, sed in dorso dissimiles: duae enim sunt a se sejunctae. Vulgus ait pisciculum hunc auro *vesci*, quia arenam cum qua nonnunquam auri laminae sunt, haurit. *Carne* est sicciorē quam Gobio.

TAB. XXII.
19.
Ad hunc referri potest, et is pīscis *Danubianus*, quem Julius Alexandri-

nus ad Gesnerum dedit. De eo ita Gesnerus. Forma quidem tota, et singulae ferme corporis partes, inquit, in utriusque pictura convenire videntur, nisi quod pinna ab ano in nostra iconē nulla est, pictoris forte incuria. Nulli enim pīscium, opinor, haec pinna deest. Rondeletius *Lacertum* peregrinum suum sine ea pinxit, quam Salvianus eidem addidit. Bellonius in sola Taenia hanc pinnam se non reperisse mihi retulit. Pīscis, quem exhibemus, Germanicum nomen est *Zindel*: velut alii scribunt, *Zinde*, *Zindel*, *Zinne*, *Zingel*. Ungari *Kolcz* appellant. Icon ad me missa, digitos XII. longa est; quam longitudinem in hoc pīscē mediocrem esse audio. Colore est, partim e fulco rufesciente, partim nigris maculis fatis magnis per intervalla distinctus: quarum aliquae a dorso ad ventrem, qui cinereus est, oblique tendunt. *Oculis* color Indicus: et aliquid sub eis rubri. Audio eum ad librae pondus, id est, unciarum XVI.